


BEER, FRANZ JOSEPH

**Dissertatio Inauguralis Medica De Chorea S.  
Viti**

Ghelenianis  
Viennae  
1769

# EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



## Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

## Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- ➲ Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- ➲ Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- ➲ *Suchen & Finden:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.\*
- ➲ *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)\*

\* Nicht in allen eBooks möglich.

## Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

## Weitere eBooks


Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.


Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>


Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin  
Wien

D 2140







3290  
FRANCISCI JOSEPHI BEER  
BOEMI PRAGENSIS

DISSERTATI  
INAUGURALIS MEDICA

DE

CHOREAS VITI.

QUAM

AUTHORITATE ET CONSENSU  
ILLUSTRISSIMORUM, PERILLUSTRIOUM,  
MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM, CLARISSIMORUM  
VIROURUM,

Perillustris, ac Magnifici Domini

UNIVERSITATIS RECTORIS,

Reverendissimi, Illustrissimi, ac Amplissimi Domini

UNIVERSITATIS CANCELLARII,  
Illustrissimi, Magnifici, ac Clarissimi Inclitae Facultatis  
Medicæ

DOMINI PRÆSIDIS,

Perillustris, ac Magnifici Inclitæ Facultatis Medicæ

DOMINI VICE - PRÆSIDIS,

Perillustris, Clarissimi, ac Spectabilis Inclitæ Facultatis  
Medicæ

DOMINI DECANI,

DD. Sacra Cesareo-Regiae Apostolice Majestatis Consilia-  
riorum, & Archistarorum, nec non Clarissimorum

DD. PROFESSORUM,

Venerabilis Domini Senioris, atque totius amplissimi

DD. MEDICORUM COLLEGII.

Publicæ disquisitioni committit

IN ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE  
VINDOBONENSI

Pro Doctoratus Laurea, summisque in Medici-  
na Honoribus, & Privilegiis legitime consequendis

disputabitur in Pallatio Universitatis

Mense Julio die MDCCLXIX.

VIENNÆ, Typis à Ghelenianis.



HONORI  
AC  
DEVOTISSIMÆ VENERATIONI  
INTEGERRIMI FIDEI SACRAMENTALIS  
CUSTODIS  
DIVI  
JOANNES  
NEPOMUCENI,  
VITÆ, AC FAMÆ PERICLITANTUM  
PROTECTORIS,  
SACRATISSIMI REGNI BOEMIAE  
SINGULARIS  
THAUMATURGI,  
ATQUE  
PATRONI  
SANCTISSIMI  
IN TESSERAM PERPETUÆ GRATITUDINIS  
OFFERT,  
SEQUETOTUM DEDICAT

AUTHOR.

## L. B.

Cum novo laureæ adipiscendæ  
Medicæ Candidato doctrinæ  
suæ specimina publice exhiben-  
dum sit, pro mea imbecillitate le-  
gibus academicis satisfacturus ele-  
gi morbum in praxi admodum ra-  
ro occurrentem, scilicet CHO-  
REAM S. VITI prætractandam;  
in quæ finem collegi tum ea,  
quæ ex ore Magnificorum, ac  
Clarissimorum D.D. Professorum  
meorum æternum, quoad vixero,  
mihi omni gratitudine veneran-  
dorum in Collegiis publicis hau-  
sta calamo fideli adnotavi, tum  
etiam ea, quæ in musæo ex variis,  
iisque probatissimis Autoribus ex-  
cerpsi; spero enim fore, me in  
hac

hac materia pertractata nil nisi vel autoritate magnorum in arte Vrorum, vel justa ratione, aut demum experientia sola Magistra comprobatum asseruisse.

Quodsi igitur imbecilles hosce conatus æqui, bonique consulas L. B., mihi gratulor: cæterum hinc inde à recto tramite aberranti facilem, uti spero, veniam dabis; periclitabar enim hunc morbum publici disceptationi subjicerre, ut ex sapientissimorum Vironum judicio in opinione confirmer, si bene cogitarim, si vero minus, per eorum justum rationarium convictus doctior à fallaci semita tempestive revertar. Vale, milique fave.

De



## DE CHOREA S. VITI.



### §. I.

Convulsio nomen genericum est, quod varias sub se species continet, quarum autem unam per tractandam, atque describendam elegi, nempe CHOREAM S. VITI. Adeoque quædam de hujus nominis origine prius dicere non incongruum judico: videtur derivari à græco Χορεία ἀπό τῆς χοσῆς, quod idem ac in publicis spectaculis saltantium, & canentium multitudinem sonat; ut fors universa schola Medica ob varias gesticulationes tum manuum, tum pedum, aut etiam nonnunquam faciei, quas ægri hoc durante morbo affecti referunt, quasi Chorem, seu saltum inire vellent, hoc nomine CHOREAM S. VITI insignivit. Cur vero addiderit Sancti Viti? ex sequentibus patebit. Interim impropre hoc nomen ad hunc designandum morbum in arte nostra receptum esse videtur ab Autoribus, nam illæ gesticulationes simulantes Chorem non de-

A

pen-

pendent ab voluntate animæ, prouti videamus  
in vere saltantibus, ac canentibus in publicis  
spectaculis, sed potius *convulsionis species* est  
hicce morbus, uti sequentia magis docebunt.

## §. II.

Quod attinet ly Sancti Viti, cur adjungatur? videtur inde deduci, ubi Gregor. Horstius (a) refert; quod prope Ulmam in circulo Sueciæ, ac etiam in Hassia inferiori Tempa, & Sacella in honorem hujus Sancti exstructa, eique dicata repariantur, circa cuius festum quotannis tanquam anniversarium mensa Majo magna turba muliercularum, atque juvenum utriusque sexus eo configunt, ubi illa superstitione plebs credit certo illum Sanctum convulsionem hanc sanaturum, quod si eadem affecta plebs auxilium ejus imploraret, quem in finem eo statu tempore omni anno corpus suum circa ejus facellum saltando se se exercet diu noctuque cum mentis perturbatione, donec ecstaticarum adinstar corruat, atque hac ratione sibi restituta videtur, ut parum aut nil fentiat per integrum annum usque ad Maii tempus subsequens, quo iterum ea membrorum inquietudine cum tensivis artuum doloribus, lassitudine spontanea, capitis gravitate eosque torquetur, ut denuo circa idem festum rediens S. VITI ad locum praedictum saltationis gratia se se conferre cogatur. An fabula, aut historia? sufficiat mentem Horstii hic declaravisse.

## §. III.

---

(a) L. 2. in suis Epistol. Medicinal, observat. 45.

### §. III.

Morbus is licet raro apud celebres practicos obveniat, tamen in scriptis Antiquorum nobis relictis non ignotus legitur, ita apud Galenum Isag. (a) quædam species descripta habetur, qui dicit: „Est species convulsio-  
„nis, qua homo erectus ambulare nequit,  
„& latus alias in rectum, quandoque fini-  
„strum in dextrum, aut vicissim circumfert;  
„interdum quoque pedem non attolit, sed  
„attrahit, velut ii, qui magnos clivos ascen-  
„dunt.“ Vocatur ei *scelotybe*, quasi cru-  
ris turba, & perturbatio nunc ad hanc, nunc  
ad illam partem inclinans. Derivatur autem  
ex σκελος. crus, & τυρη. tumultus. (b) Unde  
jam ex hac descriptione Galeni patet eum vel-  
le idem dicere, vel saltem id attingere, quod  
R. R. per CHOREAM S. VITI nunc intelli-  
gunt.

### §. IV.

Nonnulli hunc morbum nominant *Convul-  
sionem saltatoriam*, alii *Epilepsiam gyrato-  
riam* (c)

Verum si definitio Epilepsiae spectetur,  
minime convenit nomen Epilepsiae ipsi mor-  
bo dicto CHOREA S. VITI; nam *Epilepsia*  
exquisita supponit abolitionem omnium ten-  
suum cum concusso violento involuntario mu-  
sculorum, ac spuma viscida ex ore manante;

(a) Lib. Definit.

(b) Stephan. Blanchardi lexic. Medic. p. 600.

(c) Clariss. Frideric. Cartheuser fundament. Patholog.  
pag. 331. cap. 14.

quæ signa certe in CHOREA S. VITI, de  
qua mihi sermo est differendi, non obveniunt,  
hic enim miselli ægri hoc morbo affecti sibi  
omnibus sensibus internis constant, ut solum  
modo defectus in exhibitione voluntatis ob  
servetur, dum anima imperat in musculos vo  
luntati subjectos hanc aut illam actionem per  
agendi, ubi illi minime obaudient huic impe  
rio, non enim servant eam directionem, quam  
anima intendit in certum locum, sed actio mu  
sculi mutatur, atque alio determinatur modo  
sat contrario; ita v. g. homo simili morbo la  
borans ex imperio animæ intendit quidpiam  
manibus arripere, ut de uno loco in aliuni  
transferat, dum hunc actum anima imperante  
peragere intendit, tunc directione eorum mu  
sculorum voluntati subjectorum longe alior  
um mutatur, imo, si etiam cogat eum erro  
rem emendare, non possidet eam potentiam,  
quare se ludibrio, risuique adstantium expo  
nit; idem fit, si quis velit recta via incede  
re, aut alia, qua anima imperat, tunc sub il  
la actione cruris actio aliorum ducitur, ut  
miras faciat gesticulationes, girationes, &  
circinos circa articulum pedis ejus, qua de  
causa tales miseri tam tristi morbo affecti co  
guntur ob risum adstantium, ant spectantium  
consortium humanum omnimode evitare.

## §. V.

Definitur a Clariss. Sauvages CHOREA S.  
VITI. „ Est arduum unius lateris, ut dextri  
„ tremula, continua, ridicula motitatio. „

## §. VI.

## §. VI.

Clariss. Cartheuser §. 4. citatus describit  
(a) sequentibus; „ est ingens, atque insanum  
„ saltandi desiderium minime voluntarium;  
„ nec mirifici etiam motus membrorum gesti-  
„ culatorii ab ægris morbo hoc vere correpp-  
„ tis, studio & cum justæ rationis judicio sus-  
„ cipiuntur, sed unice a vehementi, & pecu-  
„ liari nervorum irritatione excitantur; „ no-  
„ fat quoque idem Autor „ ægros, dum coma-  
„ tosi jacent, paroxysmo superveniente, non  
„ semper perfectam saltationem instituere,  
„ sed tripudiantes plerumque vario saltem ca-  
„ pitis, trunci, brachiorum, manuum, ac pe-  
„ dum motu magis, minusve imitari.

## §. VII.

Omnium autem optimam nobis exhibet hu-  
jus morbi descriptionem magius Sydenhamus  
(b), quamque etiam Medicina moderna hujus  
seculi retinet, dum dicit: „ est quædam con-  
„ vulsionis species, ubi membra instar saltan-  
„ tum moventur, seu dum membra citra im-  
„ perium animæ aliam directionem sibi con-  
„ trariam faciunt. „ Itaque ex omnibus alla-  
tis Autoribus patet unanimi consensu CHO-  
REAM S. VITI morbum esse veram speciem  
convulsionum.

## §. VIII.

In ordine jam sequitur, ut recenseam hu-  
jus morbi *Species*, quas paucas sub se habet.

A 3

CHO-

(a) Fund. Pathol. p. 331. c. 14.

(b) Schedula monitoria de novo febris ingressu p. 517.

I. CHOREA S. VITI Galeno dicta *Scelotyrbe*,  
de qua jam §. 3. mentionem feci; ita hanc &  
alias subsequentes species adnotat Clarissimus  
Sauvages. (a)

II. *Scelotyrbe*, seu CHOREA S. VITI Sydenhamiana §. 7., cuius diagnosis magis patet.  
§. 12. Certe nullus morbus hodie tam cognitus aptius ad hanc speciem Scelotyrbis referri potest, quam CHOREA S. VITI a Sydenhamo descripta, quæ nostra medica R. R. & non confundenda est cum illa superstitione Horstii §. 2. Hanc speciem quoque Clariſſ. Sauvages (b) memorat.

III. Alia denique mira species recensenda venit, quæ vocatur *Scelotyrbe festinans*, seu festinia. Idem Autor. (c)

## §. IX.

Ultima hæc species dicta *Festinia* rarissima est, cuius sat pauca exempla tum apud practicos V. V., tum R. R. exstant se observasse, interim tamen habentur casus, qui confirmant ejus existentiam, quare etiam non inconcinne erit quidpiam de hac specie in medium proferre; peculiaris certo Scelotyrbes, ubi ægri folito more gradi volentes, coguntur tam celeri passu currere, ut se sustinere nequeant; eam vidit Illustriss. Gaubius Leydæ, qui Vir dicit verbis his (d), „est & ubi masculi qui, „dem recte ad voluntatis nutum in actum con- „citati, injussa dein agilitate, atque impetu „non

---

(a) Nosolog. method. T. II. part. 2. p. 106.

(b) Ibidem pag. 107.

(c) Ibidem pag. 108.

(d) Instit. Pathol. §. 751.

,, non reprimendo motus suos accelerant, men-  
,, temque invitam præcurrunt.,, Tale quo-  
que exemplum ante paucos annos exsiftit sub  
cura celeb. ac expertissimi Viri Physici Doct.  
Mayr in magna domo pauperum , ubi mulier-  
cula sæpe de die invita magno cum impetu fe-  
stinare cogebatur, ut si eam adstantes non de-  
tinerent , ea præcipiti passu gradiebatur , us-  
que in aliquod obstaculum allidens corrueret  
cum contusione alicujus partis; tanta est agili-  
tas. Videtur enim in fibris deesse musculo-  
rum flexilitas, unde motus tam breves edunt  
tales miselli ægri , ac conatu, seu impetu ma-  
jori cum resistentiam illam superare coguntur,  
tunc velut invicti festinant , atque præcipiti,  
seu concitato motu gradiuntur. Obvenit quan-  
doque etiam hæc Festinia in loquela, unde vo-  
catur volubilitas , qua lingua præcurrit men-  
tem.

### §. X.

CHOREA S. VITI §. 7. a Sydenhamo de-  
scripta , eo observante *impuberes* a decimo ut  
plurimum ætatis anno usque ad tempus puber-  
tatis invadere , ac media æstate paroxysmus  
redire solet.

Festinia vero *fenes* qdoritur. Quare non  
mirum uni cuique videbitur , cur solum usque  
ad pubertatis tempus hic morbus insidias stru-  
at? utpote magna circa hoc tempus in cor-  
pore utriusque sexus contingit mutatio tum so-  
lidarum tum fluidarum partium, sic præter alia  
obvenientia phenomena in pueris generatur  
semen , in puellis prorumpunt catamenia.

Observat quoque idem memoratus Autor  
sæpius *puellas* , quam *pueros* mira hac convul-

tione gesticulatoria corripi, quoniam puellæ, ac fœminæ præ sexu virili molliori, ac laxiori solidarum partium compage gaudent, plusque vitam sedentariam agunt, ac magis otio indulgent, quam Viri, qui enim a summo Creatore creati, & destinati, ut panem suum in labore, & sudore vultus sui lucentur, dein etiam sexus sequior ob majorem insuper judicii imbecillitatem imaginationis ludibriis magis expositus est, quam sexus virilis.

## §. XI.

His jam pensitatis ordo ulterior poscit *Causas* hujus mali enumerare; nam si causa ignota fuerit, quas tamen CHOREA S. VITI multas agnoscit, & hoc non obstante in morbum agat, empyrice agit, ut raro aut nunquam, nisi fortuna, morbus debelletur; quare scitu necessarium duco afferre *causas*, quarum dein una, alterave examine rite instituitur. Itaque cum CHOREA S. VITI sit convulsionis species, æque pro sua *causa proxima* ponit majorem liquidi nervei, aut sanguinis influxum in musculos voluntarios uti convulsio ipsa, ast contra animæ voluntatem. Quod vero concernit *causas* hujus mali *remotas* statuendas, ex sunt vel in solidis aut fluidis, aut utrisque simul, hinc in genere omnes, quæ in genere de convulsionibus, ut: *irritatio*, *dolor*, *inordinatus spirituum influxus* in nervos, *compressio* eorundem sive in origine sive in decursu; *plethora*; *motus humorum* &c. Præterea sunt ex vel *proëgumenæ*, seu prædisponentes in corporibus hisce juvenilibus:

bus : ætas tenera , irritabilitas summa , tempore ramentum plethoricum , & mucosum &c. vel procatartice , seu excitantes : omnia virtus in sex rebus non naturalibus commissa , inter quas causas autem maxime locum merentur in juvenibus : variæ efflorescentiæ chronicæ retro-pulsæ , atque vermes &c. Tandem sunt idiopathicae , vel deuteropaticaæ.

## §. XII.

Allatis , & ennumeratis nunc variis causis requiritur quoque *Diagnosim* mali efformare , ut cuilibet intuenti huncce morbum pateat , ubi sequentibus verbis describit magnus Sydenhamus , dicens : (a) „ Manifestat se se claudicatione , vel potius instabilitate alterutrius cruris , quod æger post se trahit more factum tuorum ; tandem manuum ejusdem lateris , vel pectori vel alii alicui parte applicatam ullo pacto nequit continere in eodem situ vel horæ momento , sed in aliud situm , aut locum convulsione quadam distorquebitur quid quid æger contra nitatur ; hinc omnes tremunt artus . Si ægro vas potu repletum in manus porrigatur , antequam ori admovere vere possit , mille jam gesticulationes circulatorum ad instar prius exhibebit ; cum enim poculum recta linea ori admovere nequeat , sed deducta a spasmo manu huc illuc aliquamdiu versat , donec tandem fortuna labris proprius apponens liquorem de repente in os injicit , ac tandem avide miscellus haurit dedita tanquam opera , ut specificantibus risum moveat . „ §. 6. Hinc ægri

A 5 ta-

(a) In schedula monitoria de novo febris ingressu pag. 517. & 662.

tales movent bracchium, pedemque citra animæ imperium in partem aliam, in quam nolunt, exercent hac ratione omnem motum ut fatui, aut ebrii, mente tamen sibi constantes; unde minime tripudiant, uti in ea specie §. 2. ab Horstio descripta.

Præterea etiam hic notanda venit observatio practica, CHOREAM S. VITI haud omnes afficere artus, sed alterutrum, modo brachium, modo crus. Morbumque hunc potius lœvam, quam dextram corporis partem occupare confirmat Magnif. Prof. de Haën in suis habitis ægris. (a)

### §. XIII.

Iis prius recensitis videtur principium luxus mali in origine nervorum sedem suam figere, ac mentem aliquatenus non securus ac corpus debilitare; nam asserit Clariss. Sauvages (b). se vidisse puellas hoc morbo correptas cum aliquali artuum rigiditate debiles simul & velut attonitas, aut mente imbecilles, Certe, unde illæ gesticulationes miræ, ut musculi voluntati animæ subjecti circa ejus imperium aliam directionem producant? explicatu sat difficile est, nam musculi bene constituti, uti & nervi, adest imperium in musculos hanc aut illam actionem exercendi, sed mox eo momento, quo actio inchoatur, jam observatur, fitque longe alia directio motus.

### §. XIV.

---

(a) Rat. med. T. I. c. 8. pag. 106.

(b) Nosolog. Method. T. II. P. 2. pag. 107. & 108.

## §. XIV.

Unde jam *Prognosis* facile deduci potest, atque sat infausta, quod si hoc malum diu perduraverit, metus est, ne in alia graviora mala commutetur, unde varii morbi mutatae cogitationis, furor, mania, melancholia pessima, quod confirmat Illust. L. B. van Swietten (a) dicens : „ posse turbari omnes cerebri actiones, licet causa horum malorum non in ipso cerebro, sed in aliis corporis partibus hæreat ; simul tunc patet morbosam materiem circa præcordia hærentem omnium frequentissime caput turbare, „ Iterum alibi : (b) „ ubi autem atra bilis diu hæret visceribus impæcta, mora acrior, & malignior redditur, tuncque tenuiori, & acriori parte per venas resorpta, & cum sanguine ad cerebrum delata poterit immunes illos furores producere, quin etiam contingere poterit, licet nihil de atra bile ad cerebrum venerit, sed fixa hærens in visceribus majorem malignitatis gradum acquisivit. „ Et alii morbi capitis, ut hi deinceps parum currentur, aut post nimios perpeccos cruciatus tandem in mortem terminentur ; interim tamen spes semper lactare debet Medicum hunc morbum curaturum, quod curabilis sit, cum vel maxime impuweribus utriusque sexus solennis sit, hinc quia maxima contingit mutatio corporis tum in solidis, tum in fluidis tempore pubertatis, etiam hic morbus, ut & sepe alii rebelles, eo tempore omnibus prius

---

(a) Comment. in Boërhav. T. III. pag. 489.

(b) Idem eodem Tomo pag. 520.

prius in cassum adhibitis remediis subito mutatur, ac curatur per ipsam naturam.

## XV.

Tandem jam in pertractione hujus mali ordo exigit, *Curam* adnectere, de qua notare velim, illam vario modo esse instituendam prout causa fuerit. Generalis itaque *indicatio* est, causam tollere, & si nequit saltem symptomatibus specialiter occurrere; altera *indicatio*: debellatis iis omnia *roborare*. Unde quoque pro ratione causæ varia feligenda esse *indicata* unicuique patet; interim ad curandam CHOREAM S. VITI instituto prius decenti causarum discrepantium scrutinio omnia *eadem* *remedia* hic locum sibi vendicant, quæ contra insultus epilepticos adeo proficua laudantur; cæterum prout causa jam erunt *temperantia*, *acida*, *nitrosa*; jam *absorbentia*; jam *diluentia*, *resolventia*; jam *sanguinem* depurantia; jam *incidentia*; jam *purgantia* aut *emetica*; jam *antispasmodica*, *anodyna*, *antibysterica*; jam *antihelminтика*; an non etiam *antivenerea*? tandem ad integrum absolvendam curam *nervina cardiaca*, *roborantia*.

Hæc ita se habere, agam maxime de præcipuis causis, ac frequentibus CHOREÆ S. VITI, secundum quas quoque singillatim cura instituenda erit; quare primo curam ad singulas causas quoad primam indicationem adnectam, dein subjungam curam quoad secundam indicationem capite singulari, ut integer habeatur conspectus morbi.

## §. XVI.

## §. XVI.

CHOREA S. VITI more Sydenhami cū-  
fatur (a) instituta V. S. in bracchio plus, mi-  
nus pro ratione ætatis etiam repetenda, dein  
interpolatis viciis per unum alterumve diem  
exhibit *purgans eccoproticum* v. g. ex Tama-  
rind. c. sol. fenn. Rheo, sale medio forma hau-  
stus, aut alia pro ætate jam magis provecta,  
ubi alia in teneriori ætate propinanda v. g. ex  
syrr. cicch. c. rheo, & syrr. mannat. vel ro-  
far. solutiv. ut s̄pius sumat parvum cochlear  
donec purgetur, & ad vesperas propinat hau-  
stum paregoricum v. g. ex Aqu. Ment. c. syrr.  
diacod., adultioribus addi potest Laud. Liqu.  
Sydenh. ad aliquot guttulas, ut fors oriundæ  
turbæ ab afflumto purgante inde sedantur; hoc  
repetit alternatim per tres, quatuorve dies  
pro ratione ætatis, causæ, & subjecti; Expli-  
cat se autem memoratus Autor sequentibus,  
cur id faciat, dum dicit: „cum CHOREA  
„S. VITI ab humore aliquo in nervos irruen-  
„te, quorum irritatione istiusmodi motus præ-  
„ter naturales producuntur, hinc ad humo-  
„res illos tam V. S., quam purgantibus mi-  
„nuendos, dein genus nervosum omnino cor-  
„roborandum opus est.„ Diebus dein à pur-  
gatione liberis exhibit Cardiaca robورantia  
cum opiatis; de quibus vide §. 27. & sequent.

Idem supra laudatus Autor hanc observa-  
tionem quoque adjicit, quo magis convalescit  
æger, eo minus ducit pedem, ac tanto diu-  
tius, & constantius manum in eodem situ con-  
tinet, scyphum magis recta via ori admovet;  
quæ

---

(a) Sched. monit. de novo febris ingressu. pag. 518.

quæ indicia quantum æget in sanitate conse-  
quenda proficiat, ut musculi animæ imperio  
jam pateant. Verum aliam adhuc assert obser-  
vationem propriam practicam, dum omnia  
dicta facta, semper metuerida est recidiva;  
nam, qui semel laboravit, facile relabitur,  
monet Sydenhamus, quare ille existimat ad  
eam præcavendam denuo absoluta cura per-  
tundendam esse venia, purgansque eccopro-  
ticum per epicrasin ad dies aliquot propinan-  
dum, vel ea ipsa anni tempestate sequentis,  
aut paulo ante invasionem morbi.

### §. XVII.

Methodus hæc medendi à Magno Syden-  
hamo nunc tradita perquam bona censetur,  
verum non in omni casu promiscue instituen-  
da, isque Autor non imitandus est, nam quæ-  
libet causa vix non specialem medelam expo-  
scit, cum quivis morbus suos limites habeat.  
Valet itaque Methodus memorati Viri ubi  
*plethora*, aut *rarefactio* humorum in causa, &  
talia videtur habuisse subiecta ex hac causa  
correpta CHOREA S. VITI, uti ex sui §.  
præcedenti allata explicatione ellucescit, quia  
à majori mole humorum circulantium, replen-  
tiuumque vasorum distenduntur, unde majori co-  
pia ruunt versus encephalon, illud obruant,  
infaciunt, hinc origines nervorum compri-  
muntur §. 13., adeoque nascitur causa multo-  
rum §. 14. malorum, ut & convulsionum, eo  
magis in corpore plethorico, quod aliunde  
pronum in morbos convulsivos, motus illi  
sanguinis semper sunt periculosi, eo plus si  
accedat motus muscularis, aut calor, unde

maltum magis nutritur, augetur, ac pertinacius intricatur; id vel maxime contingit in puellis pubescentibus plethoricos circa systema uterinum ob laxiorem solidorum compaginem; in quibus denuo notandum venit monente Sydenhamo; quod non tam insistendum sit his evacuationibus §. priori recensitis, uti in pueris adultioribus, quia ob dictam paulo ante rationem tam tenera ætas puellarum minime fert, cum his soleat exhaustiri.

### §. XVIII.

Præter hæc evaucantia, alia quoque *re*vellentia locum habent in simili causa, scilicet: *rlysmata* antiphlogistica; *epispistica* ad plantas pedum applicata; *cucurbitæ*; *scarificationes* artuum; *vesicantia*; *fonticuli*; *setacea* ad brachia, & suras factis autem prius sufficientibus evacuationibus; quæ omnia in eum scopum collimant, ut materia derivetur aliquorum ad partes minus nobiles, ne fiat appressio ad nervos.

### §. XIX.

Quod si in causa fuerit *calor* sive motu musculari, sive ab aëre æstivo tempore calente, aut alia ratione inducto corpori vel maxime plethorico, unde partes subtiliores aquosæ, & volatiliores spirituosæ difflantur, remanent terrestres, fixæ, reliqui humores evadunt crassiores, tenaciores. Tunc cura quoque eadem §. prioribus recensita *revulsoria* locum habet, sed simul diluentia, solventia, temperantia exhibenda, qualia esse possunt: Decocct. hord., rad. tarax., gramin., scorzon., fol. endiv.,

div., lactuc., portulac., tragonogon. &c. edulcorata oxymelle simplici, aut Roob. sambuci, ribes., rub. idæi, addi etiam potest nitrum, succ. citri; valet etiam pro potu ordinario serum lactis, maxime tamarindinatum; Emulsa ex sem. frigidis parata, vel limonada scopo temperante, refrigerante, resolventeque.

## §. XX.

Dum CHOREA S. VITI *cacochymiam* pütitojam pro sua causa agnoscit, quæ noscitur ex circulo humorum lento, solidorum laxitate, torpore, segnitie, debilitate; & flacciditate percepta in actionibus muscularum peragendis, habitu corporis pastaceo, tumidulo, frigore, pallore in locis solo epithelio tectis alias lèto colore rubello perfusis. Igitur quia causa frigida, curam absolvunt mucum *incidentia*, uti sunt præcipua salia media, varia aromata vi incidente prædita amaricantia, quæ pro lubitu eligi possunt ex classe Cardiac. stimulant: (a) Clariss. Profess. de Cranz v. g. rad ari, helenii, gentian. galang., cort. cinnam., cascarill., vinterani, Citri, aurant., N. M. fol. absynt., centaur. min., antiscorbutabilis animalium inspissata, myrrha, kermes miner. &c. varia forma compolita, quo etiam spectant sapones nativi, & artefacti; gummi ferulacea cum sap. venet. forma pillulari exhibita; demum aquæ minerales salinæ; incisus dein mucus de corpore leni purgante non nunquam eliminandus venit; igitur est cura glutinosi spontanei.

## §. XXI.

---

(a) Mat. Med. T. I. edit. altera.

## §. XXI.

Nonnunquam hic morbus pro sua causa ponit *irritabilitatem* quandam specificam partis solidæ, hinc & nervorum sive ad originem, sive in decursu adeo sensibiliū, ac mobilium decurrentium per eas partes convulsas, vel maxime videre in hac specie convolutionis est in artubus sive superioribus, sive inferioribus, unde autem fit? certe non nisi a consensu nervorum repeti potest, ita in artubus superioribus notum est nervos brachiales oriri ex plexu axillari, qui ex quatuor ultimis paribus cervicalium cum primo dorsaliū conflantur, hæc omnia paria communicant cum Sympathico magno, sive intercostali ope fibrarum varia-ruin emergentium in brachiales, dicente summo Anatomico hujus saeculi Bernardo Albino (a), nervorum cervicalium V. VI. VII. VIII. vario modo coniuncti, accendentibus etiam ramis a costaliū primis. Ad axillas impri- mis pertinent, inque nervos brachiales mi-grant. (b) Vide quoque Jac. Benigni Winslow (b). Pari ratione res se habet in partibus inferiorum extremitatum; nervus ischiaticus componitur ex duobus ultimis paribus lumbariis, & tribus prioribus paribus sacralibus, Winslow. (c) Et nervus cruralis a quatuor primis, saepè etiam & ramo quinti paris ner-vorum lumbarium conflatur, (idem d.) qui nervi communicant cum intercostali magno ope gangliorum ab eo in decursu suo effor-

B

ma-

(a) Explicat. tabul. anatom. Barthol. Eustachii Tab. 19.  
N. 2. pag. 114.

(b) Exposit. anatom. T. III. pag. 184.

(c) Ibidem pag. 207. (d) ibidem pag. 196.

matorum cum nervis egredientibus ex theca vertebrarum commixtis. Ex quibus iam patet consensus nervorum, explicarique potest, cur irritabili adeo systemate nervoso, aut alio modo affecto ex convulsiones, & gesticulationes? patet igitur posse nervos solum affici, quin quid in humoribus circulantibus accusari possit. Causa hæc juvenibus teneris plerumque frequens est, teste experientia, qui adeo sensibili, & mobili systemate nervoso prædicti, ut a minima sœpe causa tari materiali, quam immateriali variis morbis convulsivis afficiantur. Quare cura est in causam materialem *specificis*, vel si immaterialis, *generalibus* agendum; hinc ad sopiendam hanc irritabilitatem, ac sensibilitatem nimiam convenienter nervina, antispasmodica, opata; tandem ultimo loco roborantia, de quibus §. 27. & sequentibus.

## §. XXII.

Talem non absimilem etiam nobis ostendit sensibilitatem nimiam systematis nervosi in fæminis, ac puellis pubescentibus *hystericis*, atque *viris hypochondriacis* quotidiana experientia, ut hæc sola causa sufficiens sit producendi CHOREAM S. VITI, scimus enim, quos non morbos omnis generis æmulatur passio hysterica, aut hypochondriaca? qui enim omnes a solo systemate uterino in sexu sequiori repetendi, nam unicuique notum uterum gaudere innumeris nervis, quos habet a lumbaribus, sacralibus, hypogastricis vario modo intricatis, & communicantibus cum intercostali magno. Ad hanc caulam tollendam, aut saltem mitigandam morbus postulat dicta *antihystericæ* cum opiatis juncta, igitur cura *passio-*

passionis hysterice ad compescendum irregularem influxum spirituum, talia remedia parantur ex gummi ferulaceis, ut asa fœtida, sagapeno, galbano, opopanace, gummi ammoniaco, quod ut specificum laudat Clariſſ. Profess. de Cranz (a) maxime cum opopanace junctum forma pillulari; huc quoque spectant nonnunquam danda medicamenta odoribus specialibus prædita, ut: Mosch., ambr., castor., fuccin. & ejus præparata, tinct. croci, spirit. C. C. succinat., liquores minerales dulces cum laud. liqu. Sydenh. vel op. puro mixta; item fol. rut., meliss., matricar., flor. chamomill. &c.

### §. XXIII.

Sæpe obvenit CHOREA S. VITI a male affecta *prima officina* corporis humani, ut id plerumque in ætate juniori contingit, quia juvenes tunc voraciores sunt, ut omnem cibum abs ratione capiant, quare oppletio, indigestio, corruptio, unde non mirum Baglivium, ac Hoffmannum multum effecisse suis lenibus propinatis purgantibus in morbis convulsivis infantum, quia Viri hi experti causam persæpe hæsille in primis viis, quibus repurgatis omnia evanuerant; consensus hic iterum facile intelligitur, unde convulsivi motus affectis primis viis? nam novimus substantiam ventriculi, ac intestinorum præter vasa tum arteriosa, tum venosa innumeris gaudere nervis, qui papillarum forma intra eorum cava prominent, nam ex Anatomicis patet ventriculum habere nervos a sympatheticis, sive pari octavo mediante plexu coronario stomachico,

(a) Mat. Med. T. I. pag. 167. edit. alt.

communicante cum filis intercostalis magni  
uti & a ganglio semilunari magno; intestina  
accipiunt a ganglio semilunari magno, & ple-  
xu mesenterico, Winslow. (2) Adeoque ex  
his notis docemur fontem harum, & similiūm  
convulsionum repeti debere, dum saburra hæret  
in prima nostra officina irritans, & vellicans  
sua acrimonia illas papillas nerveas adeo sensi-  
les. Hinc alia medicina facienda est diversa in  
hoc casu, quam recensita erat in prioribus §.;  
igitur saburra occupans ventriculum suis signis  
cognita per tene emeticum ex rad. ipecacuanā  
execienda, si vero oppleat tractum intestino-  
rum ope purgantis eccoprotici ex tamarind.  
cass. fol. senn., rheo, cum tremor. tartari, aut  
alio sale medio addito &c. quacunque forma  
educenda est, & ad sedandas aut præcavendas  
turbas vesperi more Sydenhami §. 16. pare-  
goricum exhibetur; idque repetitur, donec  
suburra omnis per sua signa eliminata fuerit,  
ut ita ablata causa auferatur effectus, hinc &  
morbus. Sed fit nonnunquam ut hæc saburra  
putrida non adsit, sed lateat in primis, aut se-  
cundis viis acidum. quo persæpe tenera ætas  
& vel maxime sexus sequior obnoxius est,  
quod fit ex debili compage corporis sui, cui  
acrimoniæ acidæ suis oppositis antacidis occur-  
rendum erit.

## §. XXIV.

Similis quoque stimuli singularis Autores  
existunt in ætate juvenili, aut corporibus aliis  
maxime laxis, & debilibus *vermes* in cavitati-  
bus §. 23. dictis frequenter hospitantes,  
qui mucum abradendo, chymum & chylum su-  
gen-

(2) Exposit. anat. Part. I. Tom. IV. pag. 23. & 67.

gendo, consumendo, dein rodendo afficiunt papillas nerveas, unde ob earum cum his iisdem nervis consensum eadem prorsus ratione exposita §. præcedente producunt convulsiones, hinc & CHOREAM S. VITI. Qua causa posita, ac per sua signa cognita curam suam exigit per *antihelminatica*, nempe 1. nudum glutinosum *incidento*, igitur cura glutinosi spontanei per amara, biliofa, saponacea, salina, aromatica stimulantia §. 20. vel maxime, quæ simul leniter evacuant, blanda mercurialia præprimis jungere laudat Illustriss. Præfes L. B. van Swieten (a). 2. vermes *enecando*, vel saltem a parietibus intestinorum, & ventriculi, quibus adhærent, referando, ut quasi, dicente Aëtio, tabidi, & vertigine affecti de corpore eliminentur; quod fit ope medicamentorum mellitorum, quatenus ea vel maxime in corporibus calidis visâ ex obser-vatis Autorum mutata fuisse in bilem flavam, quare ratione evadunt antihelmintica; dein lubricando, solvendo alvum per oleosa magna copia per anum injecta, & ore hausta, uti variis in locis notatur apud Aëtium. Salina imprimis alcalina fixa sibi locum vendicant, ast moderata dosi exhibita, ne alias sua acrimonia intestina lœdant, unde mirum in modum vermes afficiuntur; major vero utilitas expectatur a salibus simul vim catarticam possidentibus, hinc sal sedlic, ebsamense, & similes alii ab Medicis practicis præ cæteris laudantur. Optime autem enecantur vermes similibus, quibus nutriti nequeunt, talia sunt diæta *antihelmintica*, quæ commode ab illustriss.

(a) Comment, in Hermann. Boerhav. de cognoscendis & curandis morbis §. 1369. T. IV. p. 722.

Præside nostro L. B. van Swieten (a) in tres classes dividuntur, ut „ *prima* classis contineat aspera, scabra indigestilia, siveque vermbus inimica, simplici stimulo mechanico in illos agentia, quæ motu peristaltico intestinorum mota, & pressa, tenera vermium corpora destruunt, aut multum laedunt, unde mortui, aut saltem debilitati facilius de corpore expelluntur. „ Inter quæ sunt : Rasura stanni, Limatura martis, Corallia rubra ruditer trita &c. dein quarto die purgans eccoproticum exhibetur. Ad *secundam* classem pertinent, „ quæ speciali odore viroso ingrato, ac halitu penetrabili per totum tractum intestinorum se se diffundendo gaudent. „ Qualia sunt : Allium quotidiano usu sumtum per se vel in lacte infusum tum ore, tum ano exceptum maxime in non afueris ; Affa foetida, quo recentior, eo melior effectus ; Myrrha ; quæ etiam pilulas ab Hoffmanno paratas, & pro suo specifico habitas, ingrediuntur, nempe constant ex aff. foet. myrrh., Croc. & Mercur. dulci. (b) Rad. valerianæ sylvestris æque huc spectat, quam magni facit Magnif. Archiater de Störk (c) ut cum optimo successu dederit, maxime si purgantibus, & aromaticis jungatur, v.g. ex sale polychr., pulvere jalappæ radicis, & valerianæ, Cort. Vinterani forma pulveris, vel Electuarii addendo conservam aliquam, aut syrrupum, aut forma infusi vinousi : hinc potest forma pro lubitu eligi. *Tertia.*

(a) Ibide pag. 725. & sequent. §. 1371.

(b) Medic. Ration. system. T. III. Sect. I. C. V. §. 32. pag. 110.

(c) Ann. Med. secund. pag. 228. & 286.

ta denique classis comprehendit ea,, quæ ver-  
,, mibus noxia depræhensa fuerunt ab Au-ot  
,, ribus , licet nec aspera , nec ingrata sint . , ,  
Galenus laudat hic folia persicorum, quia ama-  
ra , quæ trita applicat umbilico ; eadem ratio-  
ne & radicem filicis ; & alia plura. Inter alia  
deprædicata antihelminтика ad hanc classem  
referri possunt amara virosa , ut : Sem. santo-  
nici , Cort. tamarisc. , Cascarill. , fol. Tanace-  
ti , Rutæ , Absynt. , flor. hyperici , quos ut  
specificum laudat Clariſſ. Prof. de Cranz. (a)  
Item vim *antibelminticam* possident : Mercur-  
rius vivus in aqua coctus , & aqua pro potu  
sumta, atque alia Mercurii præparata insignes  
præbent virtutes. Vitriolum martis artificia-  
le ab omni labe cupri repurgatum , cuius dr.  
ß. aut j. pro adultiori ætate, minori vero dosi  
pro juvenili datur, hæc diluitur in libra una  
aque puræ , & mane jejunio stomacho pota-  
tur, ad saporem illum metallicum corrigen-  
dum, potest pro gratia syrrupo quodam gra-  
to edulcorari, ne inde nauseæ , & vomituri-  
tiones ; aut etiam potest cum aliis coindicatis  
maritari varia sub forma ; ast cavendum erit  
sub hujus usu ab omni usu alcalinorum , & ad-  
stringentium.

Sæpe accidit, ut infantes talia, maxime  
amara non assumant, quare eis obvenire pos-  
sumus externis, dum abdomen vel maxime  
umbilicus illinitur calide *Unquentis* balsami-  
cis aromaticis fortissimis mistis cum purgan-  
tibus, sed pauca quantitate, uude specialis  
effectus purgans sequitur, verinesque simul  
enecantur, in quem scopum inservire possunt  
in Officiniis parata *Unquenta de Agrippa*, aut

de Arthanita, quæ satis acria continent dramatica purgantia. (a) Dum autem ea exhibentur, prudenti manu dentur, ne alias nimia, eaque periculosa hypercatarsis aut convulsiones lethales sequantur, hinc si infantes inde torminibus ventris vexentur, mox abstinere consilium est, & umbilicus cum vicina cute lixivio saponis veneti abstergenda, ad præcavendas turbas a reliquiis remanentibus in cute, ac umbilico. His jam per unum alterumve diem propinatis, indicatio postulat vermes enecatos pro ratione ætatis, & corporis constitutione de corpore educere ope medicamentorum purgantium phlegmagogorum, sic pro tenera ætate sufficiunt syrr. Ciech. cum rheo, vel rosar. solutiv., vel mannat., vel de spina cervina perse, vel uno alterove commixto, aut etiam addendo aliquot grana Rhei electi vel pulv. jalapp.; ut cochlearia parva sæpius sumat, donec purgetur pro adultioribus varia forma talia propinantur, & valent Elect. hieræ picræ, aqua Laxat. Dispens. Viennensi. (b) Fol. senn. Rheum, Manna, rad. jalapp. &c. Plura videantur apud Illustriss. Præsidem L. B. van Swietten loco supra notato.

## §. XXV.

Etiam inter causas referendus est *fluxus menstruus* anomalus in puellis, huc quoque & evacuationes tum sanæ, tum morbosæ consuetæ sive suppressæ, sive retropulsæ, quæ quandoque occasio sufficiens morborum convulsorum plus in puellis ob majorem laxam com- pa-

---

(a) Vide Dispensator. Viennense de his suo loco.

(b) Ibidem.

pagem p̄e pueris, & viris congenitam, licet etiam inter sexum virilem reperiantur debiles, quare semper videnda *causa* denuo suppressionis, aut retropulsionis, aut anomalie, qui *morbus*, & an non alia *evacuatio* succenturiata? Si CHOREA S. VITI, de qua sermo est, originem ducat à fluxu menstruo anomalo, vel suppresso ob plethoram præsentem sive uniyersalem, sive particularem ad systema uterinum, cura erit, uti §. 16. 18. pro re nata, administranda; si à visciditate humorum, idem fiat, quod §. 20. exposui; si vero à depletione similes morbi convulsivi exoriantur, potius tunc Cardiaca replentia, nutrientia eligenda; dum à spasmo, opitulandum est anti-spasmodicis, opiatis; hinc prout iterum causa hujus causa fuerit, jam hæc jam illa elegenda, & in causam prius detectam specialiter agendum venit.

Varii & innumeri morbi ex *retropulsis* consuetis evacuationibus tum sanis, tum morbos, ut & ex *retropulsis* efflorescentiis, variae quoque species convulsionum, hinc & CHOREA S. VITI ortum dicit, dum nervi vel in origine sua vel in progressu a materie simili retropulsa sive in substantia sua, sive in vicinia comprimuntur, ut impediatur transfluxus liquidi nervei secreti, aut id plane non fecernatur, aut irregulariter influat, non minus ob consensum nervorum inter se varias excitari species convulsionum. Quo in casu indicatio generalis nascitur servatis supra memoratis cautelis evacuationes, & efflorescentias illas ad loca debita, quantum ars vallet, sua methodo *revocare*, quod sit partem illam sovare, irritare per emoll., synapismos,

& nonnunquam etiam per vesicantia applicata, ut fluxus humorum fiat major verius eas partes; interne laudantur varia, inter quæ præcipua est Camphora cum terreis mixta gr. β. j. bis de die, vel in mixturis subigendo cum vitello ovorum, aut sem. amygd., aut pineolis, aut mucilag. gum. arabici; optime tamen dat forma pillulari Clariss. Prof. de Cranz. (a) Contingit etiam, ut his exhibitis non redeant, quare licet etiam in usum vocare setacea, aut fonticulos nucchæ applicare, ut continua à capite fiat revulsio. Si causa venerea, aut scorbutica? specificis suis opitulandum.

## §. XXVI.

Tandem etiam *animi pathematum* oblivisci non debet, quæ sæpe causa sunt CHOREÆ S. VITI maxime in subjectis irritabilibus §. 21. & 22. Inter quæ pathemata præcipua vennunt *ira*, ac *terror*; quales non turbas exercent, ac tragædias ludunt in corpore humano teste ipsa experientia quotidiana? quibus de nro maxime obnoxius est sexus fœmineus ex ratione jam sæpe allegata. Quare in *ira*, ubi rarefactio magna humorum, ac effusio bilis, convenit V. S., & purgantia, sed ea, quæ simul sua aciditate resistunt putredini, & corruptioni bilis, hinc Tamarindi, Cassia, Cre mor tartari, aut aqua laxat. Vien. Dispensat. cum succo Citri, finita operatione paregoricum exhibere convenit; cæterum pacantia anodina, antihysterica hic locum habent. Si a *terrore*, ubi iterum omnia introrsum retrahuntur, ibi exhilarantia cum opiatis parca dosi da,

---

(a) Mat. Med. T. I. pag. 192. Edit. alt.

da, ita v. g. vinum bonum cum aliquot paucis  
guttis Laud. Liqu. Sydenh., quoque hic bona  
sunt antihysterica §. 22. laudata utpote nervis  
amica; V. S. vix, ni alia symptomata urgentia  
ad sint, locum postulant.

## §. XXVII.

Ex his jam patet pro ratione causæ variam in-  
stituendam esse methodum medendi, selectum  
que remediorum appropriatorum causæ singu-  
lari, atque hæc erant hucusque quoad primam  
indicationem §. 15. Jam etiam ut secundæ satis-  
faciat Medicus, oportet ablata vel saltem miti-  
gata causa *systema nervosum roborare*, nam vide-  
mus semper morbos convulsivos, licet curen-  
tur, post se debilitatem vel in parte vel in toto  
corpore relinquere, præcipue in sensorio com-  
muni, de qua debilitate æ gri continuo conque-  
runtur. In hunc finem administrantur *in & ex-*  
*terne Cardiaca aromaticæ*, quorum subtilis, ac  
volatilis vis non solum odore in corpus ægrum  
deducitur, eumque refocillat, sed etiam per  
vasa resorbentia, ac per inspirationem communi-  
catur, in idque suscipitur, ut hac ratione to-  
tum corpus maxime *systema nervosum corroboretur*, atque stimulus inducatur nervis conten-  
tum liquidum lente motum ulterius propellendi.

Varia illa habentur *Cardiaca*, alia *nerveæ*,  
alia *stimulantiæ* roborantia, quæ itaque unicui-  
que pro lubitu se se electioni offerunt, talium  
consuleat Clariss. Prof. de Cranz. (a) Verum  
notare velim alia *Cardiaca* esse roborantia, quæ  
*jeni* stimulo gaudent, alia *majori*, hinc pro rei  
necessitate nunc ea, nunc illa sumenda prout in-  
dicatio exurgit plus, minusve stimulare.

Ta-

---

(a) Mar. Med. T. I. edit. alt.

Talia roborantia varia forma diebus à purgatione liberis §. 16. ægris exhibentur, uti fecit Magnus Syndehamus in curando hoc malo, & si opus etiam addantur opiate, dumque Autorem sequi oportet, itaque ille Vir dequit vel maxime forma Thee, aut infusi viñosi ex verbis cephalicis aromaticis roborantibus, ut sunt: Ruta. Salvia. Betonica. Marrubium album. Menta. Melisfa. Majorana &c. Cort. Cinnam, Aurant., Peruvian., Cascarill., Fol. Aurant., Mars; Gummi ferulacea, ut Guin. ammoniac., Sagapen., Opopan., Afl. fœt., Myrrha, Castor., Maff. Pill, Russii, Succin. & ejus præparata, Liqu. minerales dulces & similia, ut vastissimus detur campus eorum remediorum eligendorum. In hunc eundem scopum inter Medicamenta roborantia interne afflunta trahantur quoque variæ Thermæ, quæ martem in se recondunt, uti aquæ Pyrmontæ, Roitschenses, Swalbacenses, & Spadanæ, hæ penetrant, robort, & simul etiam incident ob salem secum vehentes. Pro specifico demum laudatur in CHOREA S. VITI *Oleum* ex Cardamomo medio paratum Indiis orientalibus nuncupatum *Oleum Cajaput*, quod magnum nervinum, & anodinum in hac morbi specie summopere deprehensum; cuius guttulae III. IV. cum Saccharo vel ovo forbili subactæ, veletiam in vino bis de die præpinantur; Clariss. Prof. de Cranz. (a)

## §. XXVIII.

Inter auxilia externo scopo roborante referuntur coindicata: *Motus corporis* moderatus. *Embrocationes* institutæ paratæ ex iisdem plantis aromaticis cephalicis §. præcedente enumera-

ra-

---

(a) Mat. Med. T. I. p. 138. edit. alt.

fatis, uti etiam ex martialibus. *Inunctiones* tum spirituosa, tum oleosa ex similibus nervinis compositæ. *Frictiones* cum pannis laneis fumo aromatico imprægnatis ex bacc. junip. Lauri, Succino, Sarcocolla, Benzoë, Ambra. *Aff. foet.*, *Styrace* calaminta, Mastiche, Olibano, Castoreo &c. uno alterove simili compositis, ut hoc fumo bis terve de die tota spina colli, dorsi, & lumborum, atque omnes artus diligenter fricentur, sive que omnes nervi robur suum acquirent.

Ex ennumeratis iisdem herbis aromaticis etiam eo fine parari possunt *balnea*. Et ea occasione, cum sermonem faciam de balneis, afferre quoque licet methodum Anglorum adhibendi balneum frigidum in hoc morbo, in quod ægros per 3. 4. 5. minutorum spatia imponunt, diutius non sinunt, usque æger successive asuescat, quæ bona cautela, verum, solida corroborari, ut dilationi humorum non tam facile cedant, ac nervi non ita afficiantur, sed Magnus Hippocrates bene monet „ frigidum nervis est inimicum „ quare oportet semper Medicum prudentem, & instituentem hanc curam respicere, num æger prima aut secunda vice abs ullo quodam incommodo ferat, si male, potius abstinentum, cum alia tutiora nota sint, quibus non tantum periculum Medicus incurrit, dantur enim subjecta, quæ his & similibus asuescere nequeunt, aut penitus recusant.

## §. XXIX.

Ut integra demum cura CHOREÆ S. VITI absolvatur, summam laudem tanquam insigne auxilium meretur *Vis Electrica* præter alia jam recentita simul tempore curæ instituta, præter quod etiam hæc vis admodum proficia inventa sit in aliis speciebus morborum convulsivorum,

ac paralyticorum, præprimis autem semper op-  
timus effectus visus fuit in CHOREA S. VITI,  
ut Machina Electrica integrum faciat curam,  
palmarumque præcipiat aliis remediis, certe om-  
nia in toto corpore concutiuntur, vires nervis  
robortantes infunduntur, iisque robustantur, ac  
spirituum vividior motus in musculis convulsis  
inducitur; cuius summae efficaciae quatuor exem-  
pla in collectaneis practicis apud Magnif. Prof.  
de Haen (a) & duo alia demum (b) exstant, qui  
expertus salutiferum effectum integræ sanatio-  
nis deprædicat, dummodo ægri CHOREA S.  
VITI laborantes indies per longius, aut bre-  
vius tempus, prout res exigit, accedant; idem  
confirmari vedit Celleb. D. Mayr Physicus ma-  
gnæ domus Pauperum in simili ægro tali mor-  
bo laborante, interim tamen notat, quamvis  
ab initio fulgeret spes sanationis præter me-  
dicamenta anticonvulsiva, & nervina robo-  
rantia cum magna copia opii data, tamen pristi-  
na salus, & integra cura per applicationem ma-  
chinae non visa fuit, usque demum inter alia lau-  
data auxilia continuando cum vi electrica dedi-  
set pulverem ex moschi veri gr. iiij. op. pur. gr. j.  
facc. alb. scrup. s. ut f. pulv., & tales Nro viij. su-  
mat omni mane ac vesperi unum; hos pulveres  
æger ille per integrum mensum sumvit, unde tan-  
dem integra salus secuta, quin amplius redierit  
paroxysmus; plura desiderans videat historiam  
hujus ægri descriptam in Dissert. inaug. doctiss.  
D. Joan. Schwarz anno 1766. habita.

### §. XXX.

Interim tamen monendum est, nam nulla re-  
gula sine exceptione, posse obvenire casus, ubi  
ille

(a) Rat. Med. T. I. C. VIII. p. 106.

(b) Rat. Med. T. III. C. VI. p. 213.

ille effectus salutaris *virtutis electricæ* non se-  
queretur, imo neque ars juberet applicare, hinc  
prius investigandum; ita ubi vasajam coalita, &  
collapsa adeo sunt, nervi exsiccati, ut humores  
circulum obire nequeant, ibi minime valet, &  
in cassum tentaretur.

### §. XXXI.

Hæc igitur sunt, quæ curam tum quoad pri-  
mam indicationem a §. 16. usque ad §. 26. secun-  
dum varias causas, tum etiam quoad alteram a  
§. 27. usque ad 29. absolvunt.

Verum antequam finem imponam, notasse  
non supervacaneum erit, fieri, ut omnibus rite  
institutis, tamen similis morbus non cedat dictis  
auxiliis, neque perinde mitigetur, ut omnibus  
rite examinatis nullum vitium nisi solum in ner-  
vis a quodam specifico impresso charactere ac-  
cusandum sit, hinc svadet Illust. Præses L. B. van  
Swieten dicens (a) „tentanda talia esse, quæ  
„magis solvunt, impactum attenuant, referant,  
„atque stimulant, quæ subtili fragrantia per om-  
„nia corporis loca penetrant, & sæpe cum felici  
„successu. „ Igitur exhibenda factis jam suffici-  
entibus evacuationibus *alterantia* dicta, & sat  
audaci dosi propinanda sensim a minori dosi af-  
cendendo ad majorem num æger ferat, modo non  
adsit præsens plethora, aut corpus calidum, nam  
ea non agunt evacuando, sed potius corpus tur-  
bando concussis omnibus vasis, ac solutis humoris  
bus, mutatio fiat. Inter alia numerantur: *ambra*  
cum moscho, aut zibetho & camph. acuata ad  
pauca grana, ut spasimi ac convulsiones mitigen-  
tur. *Oleum animale Dippelii*, quod adeo pene-  
trans, anodinum, volatile fugax in morbis con-  
vul-


---


(a) Comment. in Boerhav. T. III, p. 523.


vulsivis pertrmacibus laudatur, datur uiri oleum  
cajaput § 27. Extractum straminonei, aut hyoscyami  
omnibus aliis non juvantibus in morbis con-  
vulsivis magni facit magnif. Archiater de Störk.  
(a) *Helleborata* in gravibus rebellibus morbis  
præcipue a causa frigida ortis in decoctis vel for-  
ma extracti cum sale gemmæ aut colocynthide a  
minori dosi incipiendo, ac sensim ascendendo  
optimos sæpe edidere effectus referente Illust.  
Præside legitur apud plurimos Autores frustra  
aliis tentatis, unde inde ægri integre convalue-  
rint. *Antimoniata* in morbis convulsivis & spa-  
modicis maxime apud hypochondriacos, & hy-  
stericas a minori ad audacem satis dosim aseen-  
dendo egregios sæpe præstant optatos eventus  
aliis non juvantibus præcipue in causa pituitosa,  
talia sunt sulphur auratum antimonyi tertiaz præ-  
cipitationis; kermes minerale &c. Cum se si-  
milia ita habeant, tentanda quoque ea prosunt in  
**CHOREA S. VITI** aliis in cassum tentatis, modo  
non fuerit corpus plethoricum, aut calidum, ser-  
vata ea cautela supra allata ratione doseos, quo-  
modo æger illam ferat, & quis inde sequatur ef-  
fectus. Quod si deum, ut nonnunquam accide-  
re potest ex usu similium, sese adjungant nauferæ,  
vomititiones, ea maritanda erunt cum anoliniis,  
balsamicis. Hæc ergo in casibus desperatis.  
Ultimo demum, si nec hirs auxilium, ut nec mate-  
ries referari, nec diathesis latens saltem pro-  
tempore in sensorio communis tollatur, hinc nul-  
lus effectus, æger proprio sibi fato committen-  
dus est, & spes restabit, num non mutatio fiat per  
naturam, dum juvenes pubescunt.


**F I N I S.**

(a) Vide libellum de straminoneo, hyoscyamo, & aconi-  
to, super quæ multa instituta fuere experimenta in No-  
socomio Pazmaniano.









[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)